



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Sancti Victoris, Cancellario, & Decano sancti Marcelli Parisiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

valiter. Cod.  
De suo nu-  
mer. pecunia.

ationes, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. Vnde apparet per consequentiam quod prædictus R. memoratam Sophiam, cujus prima facie præsumitur consobrinus, habere non potest aliquatenus in uxorem. Datum Laterani v. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

*ABBATI SANCTI VICTORIS,  
Cancellario, & Decano sancti Marcelli  
Parisiensis.*

Epist. 181.  
Confirmatur  
epistola 147.  
lib. 12.

**C**um causam quæ inter monasterium sancti Martini de Campis & Archipresbyterum Ecclesiæ sancti Iacobi Parisiensis, cujus jus patronatus ad ipsum monasterium pertinet, super medietate proventuum ejusdem Ecclesiæ, quam in ea sibi monasterium vendicabat, dilecto filio Abbati sancti Iohannis de Valleia, Archidiacono & Cantori Carnotensibus olim duxerimus committendam, ipsi demum de meritis causæ redditi certiores, habito prudentum consilio, supradictum Archipresbyterum ad reddendum annuatim monasterio antefato medietatem omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi condemnarunt. Super qua sententia cum tam coram iudicibus delegatis à nobis quam coram nobis diutius fuerit litigatum, nos demum iis quæ utraque pars proposuit intellectis, de fratrum nostrorum consilio sententiam prædictorum iudicum approbantes, Archipresbyterum antedictum super medietate omnium proventuum Ecclesiæ suæ annuatim monasterio sancti Martini reddenda sententialiter meminimus condemnasse, dilectis filiis Abbati & Priori sancti Germani de Pratis & magistro Roberto de Corzon Canonico Parisiensi nostris dantes litteras in mandatis ut quod fuit à nobis sententialiter diffinitum facerent appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Cum autem Archipresbyter, sicut executores ipsi per suas nobis litteras intimarunt, sæpè dictam proventuum medietatem monasterio integraliter solvere detrectaret, & ad querimoniam monasterij eius sæpius iteratam ipsi Archipresbyterum pluries monuissent ut apostolico mandato parendo, à monasterij super hoc inquietatione cessaret, ac eidem satisfaceret de subtractis, & id postea sub excommunicationis pœna ei sæpe mandassent, quia tamen Archipresbyter, eorundem monitis vilipensis, nostræ præ-

fumebat sententiæ obviare, parrochianos suos contra monachos sancti Martini ad Ecclesiam sancti Iacobi pro suis accedentes iustitiis nequiter incitando, cum excommunicationis vinculo inmodarunt, facientes per dilectum filium Archidiaconum Parisiensem in universis Parisiensibus Ecclesiis excommunicatum publicè nuntiari. Vnde cum nuper idem Archipresbyter ad nostram præsentiam accessisset, recepto ab ipso corporaliter juramento, juxta formam Ecclesiæ ipsi fecimus beneficium absolutionis impendi; firmiter injungentes eidem sub debito præstiti juramenti ut medietatem omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi, nulla prorsus vel pro expensis vel pro alia causa deductione facta, reddat integraliter annuatim monasterio memorato. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus faciatis idem sublato appellationis obstaculo adimpleri; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescentes; ita videlicet quòd si dictus Archipresbyter mandato nostro præsumpserit ulterius obviare, tam pro perjurio quam pro præsumptione hujusmodi ipsum appellatione remota pœna canonica castigetis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani 11. Kal. Decembris, anno tertio decimo.

*ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS  
per Hispaniam constitutis.*

**S**ignificavit nobis dilectus filius Fernandus primogenitus carissimi in Christo filij nostri Aldefonsi illustris Regis Castellæ quòd ipse militiæ suæ primitias omnipotenti Deo desiderans dedicare, ad exterminandum inimicos nominis Christiani de finibus hereditatis ipsius, quam impiè occuparunt, intentionis studium toto conamine satagit impertiri, suppliciter postulans & devotè requirens ut ei ad hoc opus fideliter consummandum & nos ipsi apostolicum impendamus suffragium & ab aliis faciamus opportunum subsidium exhiberi. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus Reges & Principes vestros, qui non sunt cum illis ad treugas observandas astricti, ad opus simile peragendum sedulis exhortationibus inducat, monentes ex parte Dei & nostra subditos vestros, & in remissionem eis omnium peccaminum injungentes, quatenus tam præfato primogenito Regis Castellæ quam aliis Regibus & Principibus

Epist. 181.  
De subsidio  
prestando Re-  
gibus adversus  
Saracenos.  
Vide infra lib.  
14. epist. 3. 4.  
154. 155. lib. 15.  
epist. 15. & lib.  
2. Miscellanor.  
nostror. pag. 251.